

ut clericis apud proprios episcopos, etc. § Si vero ecclesiasticum, collat. 6, imperator expresse hoc sancivit, illis verbis: «Cum oporteat talia ecclesiastice examinari, et emendari animas delinquentium per ecclesiasticam muletam, secundum sacras et divinas regulas, quas etiam nostrae sequi non dignantur leges.» Quinimo generaliter loquendo, sicubi jus civile de rebus ad ecclesiasticas, personas ecclesiasticas, earumque bona pertinentibus disponat, ex se ipso, ac nisi ab Ecclesia quoad talia fuerit approbatum, nullam habet vim obligandi, c. *Quæ in ecclesiistarum.* 7. et c. *Ecclesia sanctæ Mariæ,* 40, de *Constit.* cum concordantiis: et consequenter quoad talia jus canonicum in omni foro erit observandum.

221. Item de causis miserabilium personarum. — Et hoc extenditur ad causas miserabilium personarum: nam data contrarietate juris civilis et canonici, in causis miserabilium personarum servatur jus canonicum in utroque foro. Felinus in c. *In causis,* n. 1, *Testib.*; Maranta, part. III. *Speculi aurei,* num. 76; Fagnanus in c. *Licet.* n. 27, de *Censib.* citas insuper pro hoc Anton. de Butrio, et Jo de Imola in c. *Clerici. de Judiciis.* Etenim miserabilium personarum defensio specialiter ad Ecclesiam spectare dignoscitur, c. *Ex parte.* 15. de *Foro compet.*

222. E de casibus, in quibus agitur de naturali æquitate, vel vitando iniquo rigore. — Item dicendum de illis casibus, in quibus agitur de naturali æquitate, aut vitando iniquo rigore: prævalet enim jus canonicum etiam in terris imperii, arg. c. *Licet.* 4. de *Censib.*, ubi idecirco cæcus non permittitur compelli ad præstandas collectas; «Quia eum (inquit pontifex) quem cæcitas sua gravat, inhumanum est nimis in collectione affigere.» Fagnanus, loc. cit. n. 6, post Joan. de Anania; Felinus, loc. cit., pro hoc insuper allegans c. *Dilecti.* 6. de *Judiciis.* et cap. I. *de Dolo et contum.* Sicut et econtra, ubi jus civile statueret æquitatem, jus canonicum rigorem, servatur jus civile etiam in foro ecclesiastico. Felinus, et Maranta, ubi supra. Et merito: nam æquitas scripta rigori scripto præfertur, l. *Placuit.* G. de *Judiciis.* juncto c. *Abbate.* 3. § fin. de *Sent.* et *re judic.*, in 6.

223. Quid observandum in contractibus, feudis, testamentis, processu judiciario, ac hujusmodi, quando jus canonicum contrariatur civili? — Infertur tertio, quod in contractibus, feudis, testamentorum solemnitatibus, judi-

ciis, ipsoque processu judiciario, aliisque hujusmodi materiis mere profanis, et periculum peccati non continentibus, quodlibet jus in suo foro sit servandum; civile quidem in terris imperii, canonicum in terris Ecclesiæ. Nam quoad mere temporalia, et nullum animarum periculum involventia, neque Papa jurisdictionem imperatoriam, neque Imperator auctoritatem pontificiam impedit, minuere, aut perturbare vult, vel debet: simulque circa talia personarum, locorum, temporumque diversitas, et aliarum varietas circumstantiarum, nonnunquam aliud et aliud statui depositunt, can. *Sciendum,* cum duobus seqq., dist. 29, et alibi.

§ XIII.

DE CONFEDERATIONE JURIS CIVILIS CUM CANONICO.

224. *Leges et canones mixtum allegantur in utroque foro, quando sibi non contradicunt.* — Quæritur I. Quid sentiendum sit de confederatione juris utriusque inter se? Resp. I. Quando leges non contradicunt canonibus, tunc mixtum et leges et canones allegantur in utroque foro. Ita Abbas, cap. I, num. 4, de *Novi operis nuntiat.*; Anchoranus c. *Canonum statuta,* n. 44, de *Constit.* id probans ex c. *Pastoralis de fide instrument.* et alii. Idque patet ex recepta praxi tribunalium, atque jurisconsultorum, passim in utroque foro tales probationes admittentium, vel adducientium. Idem desumitur ex can. *Si in adjutorium.*, dist. 10, ibi: «Si in adjutorium vestrum etiam terreni imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriosos civem Romanum se esse protestatus est.» Concordat textus in can. *De capitulis,* et can. *Certum est,* cit. dist. 10, juncto cap. I, de *Novi operis nuntiat.*, una cum aliis num. seqq. allegandis. Unde canonista merito allegat leges, etiam ubi concurrunt canones: nam fortior videatur ille casus, illaque decisio, ubi duplex concurrit dispositio: et quæ non prosunt singula, multa juvant. Glossa in c. *Cum causam.* § *Adminicula. de Probation.*

225. *Casus in jure civili dubius, sed in canonico clare decisus, procedit quoque in foro civili, et econtra.* — Resp. II. Insuper, quoties casus aliquis dubius est in jure civili, jure autem canonico clare decisus, hæc pontifici juris decisio babet locum etiam in foro civili: et econtra, si quid jure canonico sit dubium,

§ XIII. DE CONFEDERATIONE JURIS CIVILIS CUM CANONICO.

obscurum, vel indecisum (prout præsertim circa contractus, feuda, et hujusmodi, per paucæ in sacris canonibus decisiones habentur), jure vero civili istud clare decisum reperiatur, simulque materia illa sit profana, non spiritualis, in foro etiam ecclesiastico ejusmodi decisio juris civilis locum obtinet. Ita communis; idque clare habetur cap. I. de *Novi operis nuntiat.* ubi pontifex vulgatum illud pronuntiat: «Sicut leges non dignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuventur.» Ubi glossa § *Adulantur,* notabiliter infert. «Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges.»

226. *Notabiles auctoritates doctorum quoad hoc.* Legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil. *Ibid.* — Hinc Abbas Panormitanus, loc. cit. n. 3, exinde merito concludit, «quod causa Ecclesie debet decidi per jus civile in defectum canonum: omnes enim leges principum non contradictentes canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic.» Ita ille: cuius tamen verba de legibus civilibus, maxime Cœsareis, non vero de municipalibus, quæ contra jus commune ab inferioribus magistratibus nonnunquam eduntur, intelligenda sunt: prout ipsem Abbas loc. cit. satis indicat, et docet Pirbing., tit. de *Constitut.*, num. 81. Insuper Fagnanus in c. *Cum esses,* n. 18, de *Testament.* sic inquit: «Ubicumque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantium inter jus canonicum, et jus civile: imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, ut cap. I, et ibi Abbas, n. 3, Jo. Andreas; n. 5, et alii communiter de *Novi operis nuntiat.*» Quæ cum ita sint, haud mirandum, quod Ludov. Romanus Singulari, 634, et post ipsum Zœsius in Procœmio *Juris canonici,* n. 5, ac Fagnanus in c. *Super specula.* n. 30, Ne clerici vel monachi, etc., tam severe prohibeatur, ne e claustris suis exeant ad audiendas leges, et physicam (hoc est, jus civile, et medicinam) et quidem sub poena excommunicationis latæ sententiæ, nisi intra spatum duorum mensium ad claustrum redierint?

227. *Textus variis, ubi leges non dignantur sacros canones imitari, et hi principum constitutionibus adjuvantur.* — Confirmantur hactenus dicta. Et quidem quod leges non dignantur sacros canones imitari, patet ulterius ex Auth. Ut clericis apud proprios episcopos, etc. (Cujus verba superius num. 220, relata

sunt), collat. 6. Item ex Auth. *De Ecclesiasticis titulis,* § 1 et 2, collat. 9, atque eliam ex can. *Euphemium,* § *Hinc colligitur.* 2, q. 3. Quod vero sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuventur, præter jam hactenus dicta, probatur ex c. *Cum dilecta,* § *Nos igitur de Confirmat. util.* etc. ubi pontifex in sua decisione attendit id, quod jure civili statutum fuerat. Hoc idem fit cap. I. et II. de *Novi operis nunt.*, ubi similiter Papa subortas circa novi operis nuntiationem controversias, juxta leges decidit. Et cap. I de *Emption. et vendit.* pariter tale quid habetur. Sicut et in c. *Nos quidem,* § fin. de *Testament.* pœnæ voluntates defunctorum, «secundum piissimas leges,» episcopali studio jubentur adimpleri. Item in c. *Inter alia.* 6. de *Immunitate ecclesiast.* Reus criminis, et ad Ecclesiam confugiens, «juxta sacrorum statuta canonum et traditiones legum civilium,» inde extrahi prohibetur. Qua ratione sæpius alibi in dubiis decidendis Papa leges allegasse reperitur. Quinimo, quod plus est, can. *In primis.* 2. q. 1. circa fin. plures leges civiles non solum allegantur, sed expresse recipiuntur, atque per Gregorium papam canonizantur: quanquam hujusmodi leges non tam *leges civiles*, quam mutato nomine *canones rectius* appellantur, ut dictum superius n. 78. Verum occasione præmissorum.

228. *Religiosis est prohibitum, ne e claustris exeant ad audendum jus civile, vel medicinam, et sub quibus poenis?* — Quæritur II. Cum tanta inter jus civile et canonicum intercedat confederatio, adeo quod juxta illud jam allegatum, canonista sine legibus nihil valeat: cur religiosis in c. *Non magnopere,* etc. *Super specula.* Ne clerici vel monachi, etc., tam severe prohibeatur, ne e claustris suis exeant ad audiendas leges, et physicam (hoc est, jus civile, et medicinam) et quidem sub poena excommunicationis latæ sententiæ, nisi intra spatum duorum mensium ad claustrum redierint?

229. *Non tamen, quin intra claustra ex bono fine juris civilis scientiam addiscant.* — Resp. I. Per citata jura neutiquam est prohibitum religiosis, quinimo eisdem laudabile existit, quod intra claustrum leges civiles inspiciant, earumque intellectum addiscere satagant, non quidem principaliter propter ipsam scientiam civilem, sed ad finem intelligendi melius sacros canones, et quatenus id necessarium est ad alios rite instruendos, atque occurrentes casus conscientiae dissolvendos,

Abbas in c. Super specula, n. 17. Ne clericis vel monachi, etc., indubitanter tenens, quod ad hunc finem addiscens in camera scientiam juris civilis, acquirat et bonam famam in praesenti saeculo, et mercedem maximam in futuro. Layman lib. I, Theolog. moral., tract. iv, c. viii, n. 9; Fagnanus in d. c. Super specula, n. 30 et 32, post Hostiensem, Jo. Andream, Anchoranum, Butrium: et caeteros omnes. Desumitur hoc ex can. Turbat. et can. Si quis grammaticam, dist. 37, ubi lectio saecularium litterarum, et doctrina grammaticae comprobatur, dummodo assuratur in meliores usus, ut puta, ad intelligendam sacram Scripturam, et discernendam veritatem a falsitate: nam cuius finis bonus est, et ipsum bonum est. Quo tamen non obstante, tum ad tollendam evagationis materiam, tum ut regulares ecclesiastica negotia fidelius pertractent, simulque evitentur nonnulla alia incommoda, exitum e clausulis ad audiendas leges mundanas pontifex merito religiosis prohibendum censuit.

230. In quo sensu religiosis sit prohibitum audire leges civiles? — Resp. II. Per citatos canones prohibetur religiosis audire leges civiles principaliter propter ipsam scientiam civilem, sive intentione subeundi munera, et officia saecularium advocatorum, et judicium. Ita citati doctores; itque desumitur ex d. c. Non magnopere. Ne clericis vel monachi, ubi Alexander III, in concilio Turonensi prohibuit regularibus exitum e clausulis ad audiendas leges vel physicam, «ne occasione scientiae, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur:» et consequenter dicta prohibito procedit de tali studio, quod abstrahit a vita ecclesiastica, fitque intentione subeundi mundanas actiones, sive administrationes judicium, aut advocatorum.

231. Solvitur in tantia. Sub theologia comprehenditur jus canonici... Ibid. — Neque obstat, quod cit. c. Super specula (ubi dicta prohibito audiendi leges, vel physicam in scholis extenditur ad clericos saeculares, habentes dignitates vel personatus, nec non ad presbyteros) assignetur alia causa memoratae prohibitionis, videiicit ampliatio theologici studii ad fortius resistendum haereticis: «ut

theologiae studium dilatato sui territorii loco, funiculos suos faciat longiores, ut sit fides calholica circumincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex adverso,» prout loquitur textus. Resp. enim cum Abbe loc. cit. n. 7, et Piring, tit. Ne clericis vel monachi, etc., n. 34, sub theologiae hoc loco etiam comprehendendi jus canonicum; quia scientia canonica est pars scientiae divinae. Et hoc non immerito dicitur, tum ob auctoritates sacrae Scripturae multis in locis eidem insertas, atque definitiones fidei catholicae, quas continet; tum ob finem promovendi cultum divinum, et perducendi hominem ad aeternam beatitudinem: qua de causa jus canonicum non semel appellatur *Jus cœvinum*, ut supra, num. 29 et 30, dictum est. Cum igitur leges civiles ad juris canonici perfectiorem intelligentiam multum deserviant, ipsæque canonum ambiguities legibus resolvantur: non censeatur summi pontifices voluisse religiosis, ac praefatis clericis, prohibere studium juris civilis in ordine ad finem melius intelligendi sacros canones, quamvis prohibuerint eisdem studiis juris civilis principaliter assumptum in ordine ad subeundas mundanas actiones saecularium indicum, vel advocatorum.

232. Universitates quedam impetrarunt privilegium ad littenti clericos ad publicas legum civilium lectio... — Ad majorem nihilominus cautelam, simul et commoditatem prosequendi studium juris canonici, solent universitates a summo Pontifice expressum privilegium admittendi clericos ad publicas legum civilium lectiones impetrare: prout Baptista a S. Blasio, tom. I Tractatum, tract. De Contradicitionibus juris canonici cum civili, contradic. 34, refert: «Studium Palatinum habere privilegium hoc, quod clerici possint audire jus civile per quinquennium ad eorum instructionem, ut facilius capere possint doctrinam juris canonici.» Et tale privilegium etiam universitati Salisburgensi concessum esse, testatur Ludov. Engel in proximo Collegii juris canon., num. 19. Idemque de aliis universitatibus asserunt alii libri, et melius authentica instrumenta desuper confecta demonstrabunt. (ADNOTATIO VII.)

JURIS CANONICI UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In Quæstiones distributi solidisque Responsionibus
et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

1. Duplex juris canonici fundamentum categoris premititur. — «Quoniam ubi fundamentum non est, superaedificari non potest,» uti notatur in c. Veniens, 3, de presbyt. non baptiz., merito in principio libri primi Decretalium duplex totius juris canonici ponitur fundamentum: unum, et quidem solidissimum, verae fidei catholicae, agendo mox in primo titulo de summa Trinitate, et catholica fide: alterum, generalioris doctrinæ canonice, in subsequentibus tribus titulis tractando de Constitutionibus, de Rescriptis, et de consuetudine.

2. Divisio materiarum juris canonici in quinque libros Decretalium. — Posito hoc duplice fundamento compilator juris canonici a generalioribus procedit ad particularia, hæcque universim in quinque classes distribuit, singulisque classibus proprium librum attribuit. «Quia enim omne jus, quo utimur, tum civile, tum canonicum, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones, sive iudicia, L. I, ff. de Statu homin. et § fin. Instit. de Jure nat. gent. et civili:» juxta isthac tria juris objecta, dividi quidem potuisset totum jus canonicum, atque a nonnullis doctoribus,

nominatim a Barbosa «in tribus libris juris ecclesiastici universi,» dividitur. Sed cum quodlibet premissorum in sua membra subdividere liceat, personas quidem in superiores, sive prælatos, Ecclesiæ, quibus protestas jura condendi, et condita tuendi, subditosque juxta eorum præscriptum dijudicandi competeat; et in inferiores, sive clerum tam saecularem, quam regularem: res vero in eas, quæ clericis in sortem Domini vocatis peculiariter convenient, ut beneficia ecclesiastica; et eas, quæ quidem sunt sacræ, sed hominibus laicis propriæ existunt, ut sponsalia, et matrimonium: iudicia quoque vel sunt civilia, vel criminalia. Placuit compilatori novam facere subdivisionem, quinque Decretalium libris copiosius explanatam, tractando in primo Decretalium libro præcipue de prælatis, sive iudicibus ecclesiasticis: in secundo de iudiciis præsertim civiliter intentatis, et cooperantibus ad ipsa. Atque, ut patere possit de personis, rebusque illis, circa quas iudicia ecclesiastica civiliter agitari consueverunt; hinc in tertio libro fit sermo de clericis, rebusque ecclesiasticis eorum curæ specialiter commendatis: in quarto autem de matrimonio: causisque matrimonialibus, laicos peculiariter respi-